

Anatomie und Physiologie der Pflanzen in Oesterreich auf eine andern Ländern ebenbürtige Stufe gehoben und durch tüchtige Schüler auch für die Zukunft gesorgt hat.

Und seltsam, kein Orden schmückt seine Brust, keine weltliche Auszeichnung ziert seinen Namen. Wenn auch! Sein Ruhm wird leben, so lange es eine Wissenschaft gibt, wird leben, wenn alle Zeichen irdischer Gunst dem allgemeinen Lose der Vergessenheit längst verfallen sind.

Wien, im Dezember 1863.

August Neilreich.

Descriptiones plantarum novarum florum hungaricae et transsilvanicae.

Auctore A. Kerner.

18. *Salix hungarica* (*Daphnoides* $\times$ *Caprea*). — Amenta praecocia, pistilligera breviter pedunculata, in basi foliolis squamaeformibus 4—7 fulta, cylindrica, laxiuscula, ter-ter et semissi longiora quam latiora. Squamae obovatae, obtusae, in basi ferrugineae, apicem versus atratae, longissime villosae. Glandula tori oblonga, truncata, flava. Germen ex ovata basi conicum, acutum, subcompressum, viride, glaberrimum, pedicellatum, pedicello glandulam tori ter quaterve superante. Stylus tenuis, 0.3'''—0.4''' longus. Stigmata linearia, erectopatula. Folia elliptica, abrupte acuminata, bis longiora quam latiora, crenulato-serrata, adolescentia utrinque subsericeo-tomentosa, adulta supra glabrata, viridia, subtile leviter et molliter pubescentia, glaucescentia. Nervi secundarii ad marginem decurrentes utroque latere 10—12, prominentes, cum venis anastomoticis prominentibus reticulum constituentes. Stipulae semireniformes, crenatae. Ramuli juniores nonnunquam villosi, adulti glaberrimi, obscure sanguinei.

Am. pistillig. 15—18''' lg. 5''' lt. Squamae 1''' lg. Germ. 1—5''' lg. Pedicell. 0.8''' lg. Styl. 0.3—0.4''' lg. Fol. 30—40''' lg. 15—20 lt.

Foliorum et florum forma partim ad *S. Capream*, partim ad *S. daphnoidem* vergit, et hybridatione ex iis ortum esse verosimile est.

Ad huc duo formae hybridae inter *S. daphnoidem* et *S. Capream* detectae fuerunt. Unam prope Viennam et prope Krems in Austria inf. crescentem et Salici daphnoidi accedentem frater meus Josephus sub nomine *S. Erdingeri* (Verh. d. z. b. Ges. in Wien 1861 p. 243) descripsit, alteram *S. Capreae* accedentem a. cl. Körnicke prope Petropolim collectam amicissimus Andersson Stockholmensis in lit. ad Körnicke *S. conmixtam* nominavit. — *Salix* supra descripta a me etiam hybrida inter *S. Capream* et *S. daphnoidem* habita, tamen ab utraque diversa. A. *S. Erdingeri* germinibus longius pedicellatis et foliis latioribus ellipticis, adultis glaberrimis, a *S. conmixta*¹⁾ autem,

¹⁾ Secundum specim. q. Andersson liberaliter mecum communicavit.

quacum foliorum forma et pubescentia convenit, germinibus glaberrimis differt.

Ex iis, quae adhuc detecta sunt, consequitur haec series formarum, quas hybridas *S. Capreae* et *S. daphnoidis* habemus:

1. *S. Erdingeri* J. Kerner (*superdaphnoidis* $\times$ *Caprea*). — Folia obovato-lanceolata, bis et semissi longiora quam latiora, adulta, glaberrima. Germen viride, pilis adpressis sparsis obsitum, pedicellatum, pedicello glandulam tori aequante vel paululum superante.

2. *S. hungarica*. (*daphnoides* $\times$ *Caprea*). — Folia elliptica, bis longiora quam latiora, adulta subtus pubescentia. Germen viride, glaberrimum, pedicellatum, pedicello glandulam tori ter quaterve superante.

3. *S. commixta* Andersson in lit. ad Körnicke (*subdaphnoides* $\times$ *Caprea*). — Folia elliptica, bis longiora quam latiora, adulta subtus pubescentia. Germen cano-tomentosum, pedicello glandulam tori ter superante.

Salicem hungaricam, quum plantas ex Hungaria a me deportatas recognoscerem, inveni. Quam in Hungaria me collegisse quamvis constet, tamen doleo, quod locum certius hic non possum indicare.

19. *Salix subtriandra* Neilreich (*superfragilis* $\times$ *amygdalina*). — Amenta pistilligera coaetanea, gracilia, septies-octies longiora quam latiora. Squamae oblongae, obtusae, concavae, concolores e viridi flavae pilis longis rectis pilosae et cum rhachite in basi villo brevi crispo lanuginosae. Torus in flosculis pistilligeris uniglandulosus. Glandula ovoidea. Germen glabrum ex ovata basi conicum, breviter pedicellatum, pedicello glandulam aequante. Stylus brevissimus, stigmatibus crassiusculis per angulum rectum divergentibus, bilobis. Folia elongato-lanceolata, in petiolum contracta et in acumen tenue producta $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{2}$ longiora quam latiora, serrata, glaberrima, supra saturate viridia, subnitida, subtus glaucescentia, opaca. Foliola in pedunculis amentorum 3 — 4, oblongo-lanceolata, plerumque integra. Ramuli fragiles glabri.

Amenta pistillig. 15 — 25''' lg. 2 — 3''' lt. Squam. 0.8 — 1''' lg. Germ. 1''' lg. Styl. 0.2''' lg. Fol. 30 — 48''' lg. 6 — 9''' lt.

Adhuc masculina tantum planta hujus salicis nota et descripta erat. (Vide *S. subtriandra* Neilr. Verh. d. z. b. Ver. I. pag. 119. — A. Kerner Niederöst. Weid. p. 67). Femininam plantam, quae hic primum describitur una cum masculina ego inveni in silvula urbana prope Pestinum et in insula Danubii infra Pestinum posita, quae Csepel vocatur.

Eodem modo atque masculina planta in aliqua proximarum decadam herbarii austriacarum salicum a me et fratre meo editi dimittetur.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Österreichische Botanische Zeitschrift = Plant Systematics and Evolution](#)

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: [014](#)

Autor(en)/Author(s): Kerner von Marilaun Anton Joseph

Artikel/Article: [Descriptiones plantarum novarum florum hungaricarum et transsilvanicarum. 9-10](#)